



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm I. Quorundam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXVI.
DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS
VOLUNTATIBUS.

Postquam de dispositionibus inter vivos dictum est, sequitur, ut de testamentis, & alijs dispositionibus mortis causâ factis agatur, cujus rei causâ præmissum fuit de peculio Clericorum; si enim illud profectitium sit, id est, bonorum, quæ ab Ecclesia, seu ex Ecclesiastico titulo, vel intuitu Ecclesiæ proveniunt, beneficiarij testari, seu mortis causa de ijs disponere non possunt, ut infra apparebit, & habetur *in authent. licentiam C. de Episcopis*. Sin vero peculium sit quasi castrense, videlicet bonorum, quæ in Clericatu ex quacunque alia causâ, præterquam per Ecclesiam, uti explicatum fuit, acquisita sunt, de ijs liberè testari, ac disponere possunt, uti constat ex titulo præcedente, & *L. Sacrosanctæ. 32. & authent. Presbyteros. C. de Episcopis*. Sed & de adventitijs bonis, id est, quæ ante Clericatum non à patre, aut intuitu patris (hæc enim profectitia dicuntur, & ad patrem reverti debent *S. sancitum Inst. per quas personas &c.*) nec intuitu militiæ armatæ, aut togatæ (hæc enim Castrensia, vel quasi Castrensia censentur) sed aliunde, v. g. ex materna aut cognatorum successione, vel donatione acquiruntur, liberè testari potest & disponere.

CAPITVLVM I.

Quorundam.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius I. quòd Episcopus Atellanæ Ecclesiæ testamentum condidisset,

in quo huiusmodi in octo uncijs hereditatis instituit, Ecclesiam vero hæc alij quatuor. Ideò scribit ad Antimum Subdiaconum, eumque hortatur, ut licitè inquiret, unde ejus bona proveniant, seu acquisita sint, nec præter qualibet persona quidpiam deinceps ante Episcopatum illud acquisivisse constiterit. Quidquid autem cognoverit Ecclesiæ fuisse ante ejus consecrationem, & quidquid in Episcopatu acquisivisset, in ejusdem Ecclesiæ dominio censetur. Habetur *lib. 7. registri in ista epistola 52.*

SUMMARIUM.

Acquisita ab Episcopo, titulo Episcopatus, inter bona profectitia Ecclesiæ merantur.

Notandum, Quæcumque Episcopus suo titulo Episcopatus, vel intuitu Ecclesiæ suæ acquisivit, ea Ecclesiæ tanquam profectitia bona reservata sunt, ut præcedente mortis causa disponere non possit. Censentur *c. 2. causa 12. q. 5. & quæ dicitur c. 1. tit. precedente.*

CAPITULUM II.

Quia.

PARAPHRASIS.

Gabina SS. Gravini, & Luxorij monachi Abbatissâ retulit ad Gregorium IX. quod Syrica Abbatissa, quæ antecessit, in suo testamento Xenodochio, & alijs quibusdam legata reliquisset. De hac re, c. 1. tit. precedente.